

eiusmodi scilicet alienationes neque in foro conscientiae valere.

2. Lex Pauli II iusta censi debet, et est; at nemo negaverit, legem iustam in foro interno obligare quando Legislatores non monet, eam in foro externo tantummodo vim habere. At Paulus II eiusmodi monitionem omnimodis praetermittit.

3. Paulus II in cit. Extravaganti de eiusmodi contractibus absolute pronuntiat: *Nullius omnino sint roboris vel momenti*. Atqui si in foro conscientiae valerent, aliquid essent et roboris et momenti.

4. Paulus II antecessorum sanctiones in re confirmat. At Gregorius X. Cap. *Hoc consultissimo*, 2, *De rebus ecclesiae non alienandis in 6*. decreverat: « Contractus » autem omnes, etiam iuramenti, » poenae, vel alterius cuiuslibet » firmitatis adiectione vallatos, » quos de talibus alienationibus sine huiusmodi licentia et consensu (Sanctae Sedis) contigerit celebrari, et quicquid ex eis secutum fuerit, decernimus adeo viribus omnino carere, ut nec ius » aliquod tribuant, nec praescribendi etiam causam parent. »

At si alienationes huiusmodi in foro conscientiae valerent, ius aliquod profecto tribuerent. Etenim bona alienata retineri ab emptore possent donec alienationis nullitas declarata fuerit.

(1) Cf. praeclarissimas Ephemerides Tom. XI, pag. 598 seqq.

4. Pontificius consensus, seu *Beneplacitum Apostolicum* non exigitur in casu tamquam quid accidentale vel extrinsecum, sed tanquam causa efficiens contractus, cum Dominus et administrator principalis bonorum ecclesiasticorum sit, pro sua in universam Ecclesiam iurisdictione, Romanus Pontifex, atque neque in foro externo neque in interno foro validus contractus datur, nisi in alienatione rei accedat domini consensus. At in casu Romani Pontificis consensus non accedit, quin imo eius voluntas seponitur; deest ergo in alienationibus huiusmodi domini voluntas; nullimode ergo eiusmodi alienationes validae esse possunt.

Neque quis nobis obiiciat, dominium bonorum ecclesiasticorum esse penes ecclesias vel loca pia ad quae pertinent; respondemus enim, dominium eiusmodi subordinatum esse Supremo Pastoris auctoritati, ideoque non esse absolutum dominium, iisque conditionibus praeditum quibus dominium proprie dictum praeditum est, et esse debet. (1)

Hinc Cardinalis Petra *ad Const. Apost. Tom. 1 pag. 88, n. 64*: « Dictum beneplacitum est requisitum pro forma essentiali; ac » propter supremum dominium, » seu dispositionem universalem, » optimo iure potuit Papa illud sibi » reservare; cum Episcopi huiusmodi administrationem habeant »

vulgo *Nouvelle Revue Théologique*

» in suis Ecclesiis per iurisdictionem eis concessam per Summum Pontificem, et ab eo dependentem. »

At eiusmodi alienatio valida sit in foro conscientiae, eo quod, ut inquit Schmalzgrueber *loc. cit. tit. XIII, n. 133*, est valida iure naturali, cum habeat omnia substantialia, quae de hoc iure requiruntur ad valorem, videlicet mutuum consensum contrahentium, et iustam alienandi causam; quid inde? Profecto pro eo foro inducta est excommunicatio pro quo inducta fuit nullitas alienationis ob defectum beneplaciti apostolici; atqui haec inducta fuit in foro externo, ut contendunt adversarii; ergo quamvis in foro interno valeret contractus, in foro tamen externo excommunicatio incurritur ob praetermissas solemnitates. Valor hinc alienationis in foro conscientiae non eximit alienantes excommunicatione illata.

Attamen cum in qualibet lege epicheia admittenda sit, si talis casus contingat, qui ob temporis angustias, recursus ad S. Sedem impedit; ut si unus e contrahentibus

sit morti proximus, atque de cetero necessarius sit contractus ad quaestiones vitandas, ad bonum Ecclesiae procurandum etc. putarem, contractum eiusmodi perfici sine excommunicatione posse cum supponendus non sit R. Pontifex in casu beneplacitum apostolicum denegare, quod de cetero ea de causa non petitur, quia ob ingruentes circumstantias peti non potest. Non una hinc pietatis aut utilitatis causa ab excommunicatione excusaret in casu, sed necessitas cum pietate et utilitate coniuncta.

Quid vero dicendum si qui contractum ineant sub clausula de beneplacito Apostolico obtinendo? Et quidem Bonacina *Tractatus de alienatione bonorum ecclesiasticorum punct. IV, n. 5*. absolute affirmat, tum culpam committi tum poenam incurri. « Rogabis, scribit, utrum alienantes ante consensum superioris dicendo, *salvo superioris assensu*, excusentur a culpa et poena? »

» Respondeo negative: tum quia » protestatio est contraria facto; » tum quia assensus superioris debet praecedere contractum; nam » quando aliquid pertinet ad for-

(1) Bonacina sibi etiam difficultatem proponit et solvit: « Obiicies: factum » tempore inhabili, sed relatum in tempus habile, validum est, saltem pro tempore habili.... Ergo contractus alienationis bonorum Ecclesiae factus sub hac » forma, *salvo Summi Pontificis assensu*, videtur validus, quia refertur ad tempus habile, in quo fuerit obtentus Summi Pontificis assensus. »

» Respondeo factum tempore inhabili, sed relatum in tempus habile, validum » esse nisi irritetur; in hoc autem casu alienatio facta ante consensum Summi » Pontificis requiritur tanquam forma ad validam alienationem; secus dicendum » est de tractatu alienationis faciendae si Papa consenserit; hic enim non est » alienatio. »

» mam actus debet ipsum actum  
» praecedere iuxta communiorem  
» sententiam » etc. (1)

At alii distinguunt; et excommunicationi alienantem subiciunt si conditio apposita fuerit *resolutiva*; quippe res illico transit in acquirentem; eximunt si fuerit *suspensiva*; etenim quamdiu conditio in pendentem est, dominium a venditore non discedit; at quod in dominio venditoris est, illius est, nec alienatum dici potest. Quam sententiam et Reatinus Commentator pag. 100 not. 51 et Gabriel De Varceno *Theol. mor. Tom. II pag. 502 503*, atque Ballerini defendunt.

Alii demum contendunt, etiam sub conditione suspensiva alienantes excommunicationem incurrere aliasque poenas a Paulo II comminatas si executioni contractum demandaverint. Hanc vero sententiam, defendit Pignatelli *Consult. Canon. Tom. VI Consult. 95, n. 29*, quo loco scribit: « Id tamen intelligendum est, dummodo non sequatur absoluta traditio, neque in contractu adsit clausula *Constituti*. Siquidem haec clausula absque etiam traditione habet vim transferendi possessionem... Hoc enim pacto contractus haberet executionem absque beneplacito apo-

(1) « Beneplacitum potest praecedere et etiam subsequi contractum alienationis, dummodo non tradatur possessio. Si enim ante impetratum beneplacitum traderetur emptori possessio, alienans poenas Paulinae Constitutionis non evaderet, etiamsi possessio esset data cum clausula reservationis beneplaciti, seu cum conditione *salvo beneplacito apostolico, nec alias aliter, nec alio modo*, nisi forte bona fides, aut ignorantia probabilis illum excusaret etc. »

» stolico, et observatio illius esset  
» elusoria. »

Eiusdem autem sententiae est Monacelli *Formularium legale practicum part. II, tit. XIV, form. IV, n. 2* (1), ut alios praetermittamus. Advertimus insuper, Romanas Congregationes hoc in sensu non semel sententiam tulisse, de qua re luculentissimum exemplum habemus apud Trombetta *Praxeos etc. cap. V n. 2*, quo adducit sequentem Sacrae Congregationis Concilii Epistolam anni 1795: « Admo- » neat dominatio vestra reos, ut » conscientiae suae provideant quo- » ad contractus nullitatem, non ob- » stante asserta beneplaciti aposto- » lici reservatione, quae a poenis » in Extravagante *Ambitosae* sta- » tutis non eximit, quando ante » impetratum beneplacitum execu- » tioni mandatus est contractus ».

Ut igitur postremae duae sententiae inter se concilientur; nulla profecto excommunicatio incurritur in casu, si et contractus initus fuit sub reservatione beneplaciti apostolici et per traditionem executioni demandatus non fuit; si vero executioni demandatus fuit, excommunicatio incurritur, eo quod apposita conditio illusoria videtur, cum reapse alienatio perfecta deprehendatur.

Neque quis obiciat, etiam post rei traditionem contractum nullum esse, cum Apostolica sanctione sit interdictus, ideoque rei dominium penes dominum remanere; etenim Paulus II, et antea Gregorius X, eiusmodi contractus nullos futuros decrevit, attamen contrahentes excommunicationem incurrere edixit.

Praeter haec contingere etiam potest, ut honorum ecclesiasticorum domini, curatores vel administratores, non quidem bona ecclesiastica distrahant, repudient sed vero aut donationem, aut legatum pium quod Ecclesiae vel monasterio devoti quilibet assignent. Num ne hi inter illos alienantes bona Ecclesiae sunt recensendi, qui a Paulo II excommunicatione mulcantur?

Porro ab initio declarandum esse ducimus quaestionis statum: Etenim vel agitur de simplici repudio donationis vel legati, quod scilicet nondum acceptatum fuit ab Ecclesiae procuratore, aut ab eo ad quem acceptatio competit, vel de donatione et legato quod iam acceptatum fuit.

Si primum, Doctores antiquos inter Schmalzgrueber *Ius Eccl. pars. I Tit. XIII, n. 15*, negative rem definit 1. quidem quia talis repudiatio haereditatis, vel legati

non est proprie alienatio rei Ecclesiae, sed potius non acquisitio. 2. Ex lege quod autem 6. etc. ubi repudiatio haereditatis, vel legati non censetur alienatio facta in fraudem creditorum. 3. Ex leg. *Alienationis 28 princ. ff. de V. S.* ubi Paulus Iurisconsultus *qui occasione*, inquit, *acquirendi non utitur, non intelligitur alienare, veluti qui haereditatem omittit, aut actionem intra certum tempus datam non amplectitur*. 4. Quia praelato permessa et valida esse censetur quaecumque dispositio circa res Ecclesiae vel Monasterii sibi commissi, quae iure prohibita aut irrita non reperitur; atqui haereditatis, vel legati repudiationem ipsi interdictam, vel saltem irritam esse non est iure expressum; ergo permessa, aut saltem valida, et a poenis quae in male alienantes latae sunt, immunis erit. 5. Quia actus et dispositiones quaecumque in dubio validae censi debent, ideoque omnis interpretatio admittitur ad eas sustinendas; at propositae renuntiationis valor et nullitas maxime dubia sunt; ergo pro valida haberi debet. Atque n. 18 argumenta contraria praeclare diluit. (1)

Pro eiusmodi vero sententia cl. Canonista citat sexdecim auctores

(1) Neque obstant, inquit, argumenta contraria. Ad 1. aliud est nocere, aliud non prodesse, non acceptando haereditatem vel legatum. Praelatus non nocet positive, sed tantum non prodest. Igitur valide saltem illi renuntiat. Ad 2. dum dicitur prohibitam esse alienationem etiam improprie dictam, intelligendum est de alienatione iuris iam quaesiti, et quando agitur de Ecclesia depauperanda; secus si agatur de mera non acquisitione, et illa non locupletanda. Ad 3. licet praelatus

praestantissimos, quos inter Reiffenstuel, qui *lib. III Decr. Tit. X. De his quae fiunt a Praelatis n. 38 et seq.* strenue illam propugnat, aliosque citat Doctores.

His autem addimus; ex extravaganti *Ambitosae* satis manifeste apparere, Paulum II loqui de bonis ab Ecclesiis possessis, de iis scilicet, in quibus habet ius in re, non vero ius ad rem; loquitur enim de iis bonis immobilibus et pretiosis mobilibus Deo dicatis, ex quibus Ecclesiae, monasteria, et pia loca reguntur, illustrantur, et eorum ministri sibi alimoniam vindicant. At haec utique vera sunt et dici stricto sensu possunt de bonis, in quae Ecclesia habet ius in re, non vero de iis in quae habet ius ad rem, cui propterea competit actio non in rem ipsam, sed in personam impediendam acquisitionem rei. Ex eiusmodi enim bonis Ecclesia actu nihil percipit, aut percipere potest.

Hinc ipse praestantissimus Schmalzgrueber *loc. cit. n. 17* illa excipit Ecclesiarum iura in bona Ecclesiastica quae sunt in re. « Quod » solum intelligi debeat de repudiatione simplici, non autem de » cessione aut permutatione in favorem et commodum alterius; » ratio est, quia per talem cessionem, hoc ipso haereditas prius

» deberet censi adita, vel legatum agnitum, et sic censeretur » alienatio rei iam acquisitae. »

Idipsum vero censet cl. Ferraris qui verbo *Alienatio n. 5* scribit. « Sic etiam nomine immobilium veniunt iura et actiones ad » immobilia; colligitur ex cap. 2 » de rebus Ecclesiae non alienandis in 6 ubi iura et actiones ad » immobilia aequiparantur immobilibus: *Bona immobilia aut iura Ecclesiarum*, et *Leg. qui actionem ff. de regulis iuris: qui actionem habet ad rem recuperandam, ipsam rem habere videtur.* » Eiusmodi autem actio seu ius est in re; ius enim ad rem dat actionem in personam non in rem, ut diximus.

Non nos equidem latet clar. Vecchiotti *Inst. Canon. Tom. II, pag. 91* contrariam sententiam propugnare; scilicet praelatum non posse repudiare haereditatem, legatum, donationem Ecclesiae factam quamvis non acceptatam; verum rationes ab eo allatas, ni opinio nos fallit, cl. Reiffenstuel *loc. cit.* ad trutinam revocarat, easque non admodum solidas esse apparere.

Quidquid autem sit de iuris quaestione; in facto hoc esse certum scimus; neminem scilicet uti excommunicatum habendum esse, quem ratio vere probabilis excom-

ita repudiando haereditatem, aut legatum Ecclesiae delatum, si sine causa iusta id fiat, agat contra ius Ecclesiae, et ideo peccet, non tamen patrimonium eius diminuit, in qua diminutione consistit alienatio.

municatione eximit. At sententiam quam propugnamus, Praelatum ob simplex repudium haereditatis, donationis, legati excommunicationem Extravagantis *Ambitosae* probabile esse non incurrere, tum intrinsicae rationes, tum praestantissimorum Doctorum sententiae suadent; ergo usquedum aliqua authentica declaratio ab apostolica sede non prodierit, praelati, administratores vel rectores eiusmodi ob simplex repudium donationis etc. de excommunicatione damnari posse non videntur.

Ex iis vero quae disputavimus manifesto patere arbitramur, eas tantum alienationes in Piano Capite prohiberi quae ad formam Extravagantis *Ambitosae* vel dominium in alios transferebant, vel tempus praetergrediebantur a Paulo II statutum, ex gr. in locationibus ad triennium. Alii contractus quapropter in quibus haec duo veritatem non sortiuntur, adhuc fieri ab Ecclesiasticis administratoribus possunt.

Hinc possunt adhuc pecuniam mutuam accipere, vel dare, vendere suorum beneficiorum redditus et proventus, vel ad vitam vel ad longum tempus, recepta per unam vel plures pensiones mercede, quod quamvis prohibitum noverimus in Const. *Universalis Ecclesiae*, Benedicti XIV, non offendit tamen contra Pauli II extravagantem et Pii IX legem.

Equidem De Varceno, *Theolog. Mor. Tom. 2, pag. 501, n. 2* af-

firmare videtur, Beneficii possessorem excommunicationem incurrere, si vendat beneficii redditus per plures mercedes brevi temporis spatio solvendas. Scribit enim « non » incurritur excommunicatio si beneficiatus vendiderit redditus sui » beneficii pro mercede, vel pensione annua ultra triennium: intellige modo non recipiatur merces seu pensio per unam vel plures solutiones simul, vel brevi temporis spatio faciendas, quia » tunc incurreret censuram. Revera non se obligaret solum personaliter, sed transferret ius in rem » ipsam, seu redditum, cum venderet quod forsitan per mortem » cessaret esse suum, et consequenter pertineret ad suum successorem. Ita ex Benedicto XIV *Const. Universalis Ecclesiae §. 2.* »

Verum eiusmodi sententia ultra qua par est nobis rigida videtur.

Imprimis Benedictus XIV in cit. Const. prohibet quominus fructus vendantur ad mortem usque beneficiarii, non ultra.

2. Ad Beneficiarii mortem cessat omnis ratio fructus percipiendi, et emptor si male solvit, tenetur iterum novello Beneficii possessori vel Ecclesiae solvere pro rata pensionem. Hinc Ecclesia nihil amittit, et emptori fructuum competit actio contra defuncti beneficiarii haeredes si existant; sin minus solutae pensioni veledicat oportet.

3. Benedictus XIV quamvis in eiusmodi clericos statuerit excom-

municationem aliasque poenas statutas contra alienantes bona Ecclesiae, tamen nullo pacto constat Pium Papam IX eiusmodi poenam renovasse.

4. Renovavit tamen poenas illatas in Constit. *Ambitiosae*: atqui in hac constitutione prohibetur alienatio et locatio bonorum ecclesiasticorum ultra triennium; non venditio reddituum beneficii, qui absolute pertinent ad ipsum Benefi-

(1) 29 Augusti 1741: « §. 1. Relatum est ad aures nostras, quosdam Clericos » Ecclesiasticis beneficiis cum onere vel sine onere residentiae provisos, turpibus ut » plurimum ex causis impulsos, annuos eorumdem beneficiorum redditus, quos donec » viverent, percipere possent, unico actu alienare sub nomine cedendi commodum, » seu utilitatem percipiendi fructus eorumdem beneficiorum, quos alteri quoad vix- » rint, vendunt, recepta pecunia ad eam summam et quantitatem, quam ipsi, ha- » bita ratione eorum aetatis et corporis valetudinis, durante vita, verisimiliter » consequi potuissent. Cum autem isti improvidi Clerici instar illius prodigi filii » familias, de quo in Evangelio scriptum est: *cum substantiam suam a patre » recepisset, totam statim consumpsisse vivendo luxuriose, et deinde, facta » fame valida, coactum esse vivere de siliquis immundorum animalium*; pia » Ecclesiae subsidia et ecclesiasticos proventus in suas explendas cupiditates im- » probo eiusmodi contractu profundant; multa hinc et gravia mala, ut experientia » ipsa compertum est, evenire solent. Nam primum non leve dedecus ecclesiastico » ordini inuritur, et grave reliquis fidelibus scandalum generatur, dum vident, » ecclesiasticas pecunias, quae sunt vota fidelium, bona pauperum, patrimonium » Christi in pravos usus insumi, vel improvisa profusione dissipari, quae ab ec- » clesiasticis, tamquam probis dispensatoribus, in solamen pauperum et ecclesia- » rum restorationem impendi deberent. Praeterea saepe huiusmodi Clerici ad » summam rediguntur egestatem, et ut se sustentare possint, vel indecore, non » sine infamia clericalis gradus mendicant, vel indignis quaestibus et negotiis » operam praebent. Ecclesiam autem et ecclesiasticas res quodammodo aversantur » quasi fraudati mercede, vel stipendiis suis, quae nullius culpa, sed solum vitio » et flagitiis suis amiserunt; ideo ecclesiastica munera vel numquam, vel negli- » genter obeunt, divinam psalmodiam, si ad eam in publicis ecclesiis ratione suo- » rum beneficiorum teneantur, frequenter omittunt, vel oscitanter persolvunt, ec- » clesiasticos coetus non frequentant, animarum salutem non curant, divina fasti- » diunt, mundana sectantur.

§. 2. « Volentes igitur hanc improbam consuetudinem et non ferendam pravi- » tatem qua non mediocriter clericalis ordinis fama minuitur et honor conculcatur, » Ecclesiae autem debito servitio, pauperes opportunis subsidiis, et sacrae aedes » necessariis reparationibus et ornamentis fraudantur, penitus abolere.... omnibus » Clericis quaecumque dignitate, praeceminentia, honore et privilegio insignitis in-

ciarium, dum bonorum stabilium vel mobilium administrator est. Quod ex ipsa Benedicti XIV Constitutione eruitur, qui eiusmodi venditionem reddituum prohibet, non quod iniusta sit vel habenda uti venditio bonorum ecclesiasticorum, sed propter incommoda et inhonesta quae inde sequebantur. In supposita nota legant lectores nostri tanti Pontificis sanctionem et mentem (1).

5. Cum beneficiarius noverit

post mortem nullum beneficii redditum sibi competere, non potest ultra mortem pensionem pacisci; atque emptor liberesolvit quod conventum pactumque est, habita ratione aetatis et valetudinis beneficiati. Hinc beneficiarius nullum transfert ius in rem ipsam, nec transferre potest cum discrimini sese tum ipse tum emptor committant, ad eorum instar qui vitalitium concinant.

Cum itaque in praesenti casu nulla habetur bonorum ecclesiasticorum venditio, vel locatio, nulla excommunicatio incurritur.

Non incurritur pariter eiusmodi excommunicatio si alienatio sine beneplacito Apostolico inita executioni demandata non fuerit, quia esset criminis attentatio, dum poena illata fuit in crimen perfectum, ut ex lege patet.

Neque incurritur ob alienationem bonorum, in quorum titulum Clericus ordinatus est, eo quod non sint bona Deo dicata, consequenter non ecclesiastica.

Similiter evadunt excommunicationem qui infra tempus statutum alienant venditori bona, quae ven-

diderat cum pacto ea redimendi; et ii qui iuris necessitate alienant; ex. gr. bona relicta monasteriis, quae illa possidere nequeunt. Non putamus tamen evadere excommunicationem illos administratores qui sine beneplacito apostolico alienant bona illa, quae a patronis sub hac conditione relicta sunt Ecclesiis, ut ea alienari possint, quod sentire videtur cum aliis Scavini. Etenim haec bona vix ab Ecclesia acceptata et possessa, evadunt bona ecclesiastica, omnibus hinc legibus subiecta, quibus bona Ecclesiae subiciuntur; nec patroni facultate polent dispensandi in legibus Pontificiis; nec acceptantes sese eximendi lege lata, aut ei derogandi.

Circa locationes quadruplex casus dari potest, et datur fortasse, nec infrequens; et quod scilicet consuetudo sit in aliquo regno vel provincia ut bona ecclesiastica sine beneplacito Apostolico ad longius tempus, ex. gr. ad decennium locarentur et locentur etiam post Constitutionem *Apostolicae Sedis*; et quod locationes fiant vel ad duo, tria, quatuor triennia, vel ad triennium tantum cum promissione tamen de

» terdecimus et prohibemus, ne in posterum audeant sub nomine alienandi utili- » tatem, et commodum percipiendi fructus, vel alio quovis titulo, praetextu et » colore, vendere ac distrahere suorum respective beneficiorum redditus et proven- » tus, vel ad vitam, vel in longum tempus, recepta ab emptore per unam vel » plures solutiones pecuniarum quantitate, quam ipsi Beneficiati per eiusdem tem- » poris, vel vitae spatium consequi potuissent: sub poena excommunicationis et » nullitatis actus, seu contractus, et omnium inde consecutorum, aliisque poenis » inflictis, praescriptis et statutis contra alienantes bona Ecclesiae, quas rursus » hic contra eosdem clericos sic contrahentes renovare, decernere, ac statuere in- » tendimus et volumus. »

renovanda locatione postquam prius triennium absolutum fuerit, vel ad plurima triennia cum pacto, quo locatori facultas fit a contractu recedendi finito quolibet triennio. Quid?

Relate ad primam quaestionem, Concilii Tridentini Patres *Sess. XXV. Cap. XI. de Reform.* locationes ad longius tempus factas quam Extrav. *Ambitiosae* pateretur, quaeque factae fuerant in damnum Ecclesiae et contra canonicas sanctiones per se non irritavit, sed Synodo provinciali vel hominibus ab ea deputatis irritandas dimisit. « Locationes. . . » quas a triginta annis citra ad longum tempus, seu, ut in nonnullis partibus, ad viginti novem, seu bis viginti novem annos vocant factas, Synodus provincialis, vel deputandi ab ea in damnum Ecclesiae et contra canonicas sanctiones contractas fuisse iudicaverint. »

Ex quo loco intelligimus, locationes quae infra annos viginti novem continerentur, nec a Patribus Tridentinis irritatas fuisse, nec a Synodo provinciali aut ab ea deputatis irritari potuisse; quin immo intelligimus, locationes etiam quae excederent annos viginti novem approbatas fuisse, dummodo contractae in damnum Ecclesiae et contra canonicas sanctiones non reperirentur.

Ergo vi dispositionis Tridentinae locationes ex. gr. ad decennium poterant conservari, saltem illae tacite intactae relictas sunt, quamvis

dispositioni Extravagantis *Ambitiosae* sese opponerent. Ex hoc autem speciales consuetudines inductae fuerunt in aliquibus Dioecesibus quae sive tacito consensu, sive tolerantia principum ecclesiasticorum permissae sunt.

Attamen Pius Papa IX in Capite quod exponimus locationes ad tramitem Extravagantis *Ambitiosae* reduxit, atque nos supra probavimus, legem ita generalem esse atque circumscriptam ut exceptiones non admittat. Consuetudines ergo locandi ad sexennium, ad decennium etc. post Constitutionem *Apostolicae* nec tolerandae, nec permittendae videntur.

Equidem quis argumentabitur, Pianam Legem generalem esse, per legem generalem autem non abrogari speciales consuetudines; quod quidem verum esse dicimus quando de legislatoris contraria intentione non constat; at in casu constare de contraria Pii IX voluntate ex eo inferimus et quod legem restituit, quae eiusmodi locationes interdicitur, et quod nihil excepit, cum constet alias excepisse quando aliquam contrariam consuetudinem permittere voluit.

Addimus; quod si eiusmodi consuetudines Pius IX non abrogavit, per restitutionem Extravagantis *Ambitiosae* in re nihil obtinuit; etenim consuetudines speciales toleravit; at in ceteris omnibus observabatur Paulina lex, scilicet ubi hae consuetudines non vigeant, erat in usu lex

Paulina; dicendus est ergo Pius Papa IX omnia ad illius Extravagantis tramites reducere voluisse, ut aliquid consequeretur.

Quantum ad alteram quaestionem attinet, manifestum esse putamus, duo, tria, quatuor triennia aequipollere sex, novem, duodecim annis: ideoque legem transgredi, et excommunicationem incurrere eos qui eiusmodi locationes ineunt:

At non idipsum de tertia quaestione dicendum est; promissio enim locationis ad aliud triennium non est locatio; atque obligat promittentem, non rem promissam; si tamen promittentem obligat, cum nemo ligetur promissione, cuius observatio non est in promittentis facultate. Hinc cum in re desit locatio, seu factum lege interdictum, excommunicatio nulla incurritur.

Quae conclusio etiam pro quarta quaestione valet: cum enim locator facultatem sibi reservavit a locatione discedendi singulis trienniis, hoc ipso apparet non obligasse rem locatam ultra triennium.

II. Expendamus hinc alteram huius Capituli partem, qua quaerendum est, quanam sint personae

quae eiusmodi excommunicatione percipiuntur. Sunt porro *alienantes et recipere praesumentes*: illi quorum nomine et mandato bona ecclesiastica alienantur; hi qui dicta bona emunt vel ultra tempus legitimum conducunt.

Relate ad alienantes; penes antiquos Sacrorum Canonum tractatores quaestio erat: an Episcopi et Abbates excommunicationem Paulinam incurrerent, dum nullimode dubitabatur quin illam incurrerent ceteri sive laici sive clerici inferioris ordinis et dignitatis, si saltem bonorum Ecclesiae administratores essent. Cum enim Paulus II. dixerit: « Alienanti vero bona ecclesiastica etc. contra praesentis Constitutionis tenorem, si Pontificali seu Abbatiali praefulgeat dignitate, ingressus Ecclesiae sit penitus interdictus » putarunt, Episcopos et Abbates alienantes una hac poena teneri, coeteros vero alienantes excommunicationi subiaci.

Quin imo Bonacina, qui et alios plurimos Doctores citat, existimavit unos bonorum Ecclesiae administratores hac poena teneri, alios minime (1).

(1) *De alienatione bonorum Eccl. Punct. V. n. 1.* « Omnes et singuli ecclesiastici tam saeculares, quam regulares, qui bona ecclesiastica male alienare praesumunt excommunicationem incurrunt, modo non sint Episcopi vel abbates; isti enim interdicto ab ingressu Ecclesiae, aut etiam suspensione puniuntur. Haec propositio patet ex verbis extravagantis, ibi, *si quis contra huius nostrae prohibitionis seriem* etc. Eadem excommunicatio extenditur ad recipientem; nam in textu dicitur, tam qui alienat, quam is qui alienatas res et bona praedicta receperit, sententiam excommunicationis incurrat. Limitanda tamen et restringenda est haec propositio. » modo qui aliquid alienat, destruit, vel demolitur, administrationem habet; nam in Extravaganti *Ambitiosae* sermo est de praelatis, be-